MONSTRI MOLAE SPECIEM PRAE SE FERFNTIS DESCRIPTIO ANATOMICA.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
UNIVERSITATE LITTERARIA BEROLINENSI
PRO
SUMMIS IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIBUS
RITE ADIPISCENDIS
DIE X M. AUGUSTI MDCCCXXI.
H. L. Q. S.
PALAM DEFENDET
AUCTOR

GUSTAVUS LIEBER.
BEROLINENSIS

OPPONENTIBUS.
TUCH MED. DD.
SCHULTZ MED. STUD.
FLEMMING MED. STUD.

CUM TABULIS AENEIS DUABUS.

BEROLINI.
FORMIS BRUESCHCKIANIS.

VIRO

EXPERIENTISSIMO CELEBERRIMO REVERENDISSIMO

Dr. LAURENTIO OKEN

IN UNIVERSITATE IENENSI OLIM MEDICINAE PROFESSORI P. O.

PRAECEPTORI SUO DILECTISSIMO

OB

INSIGNEM ERGA SE COLLATAM

BENEVOLENTIAM

HASCE

STUDIORUM SUORUM PRIMITIAS

GRATO ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

Prooemium.

Magnam ex monstrorum descriptionibus non modo anatomiae pathologicae, sed toti etiam physiologiae redundare utilitatem, adeo inter omnes constat, ut vix opus esse videatur, aliqua de argumenti usu et indole praefari. Ne decet quidem eum, qui dissertatiuncula in lucem emissa tirocinium positurus est, se in verba effundere, quibus lectorum indulgentiam imploret, cum per se opusculi sui excusationem facile mereatur.

De descriptione tantum ipsa aliquid proferre mihi liceat. Nonnullarum partium, quamvis accuratissime delineatarum, haud tamen satis aperta erit descriptio. Quis autem est, qui talis descriptionis difficultates iam nostra in lingua ignoret? quanto maiores autem erunt in lingua nobis haud ita prompta. Et nonnullae partes descriptionem atque delineationem satis perspicuam non permittunt. — Verba etiam nonnulla barbara descriptioni intercurrunt, sed de rebus anatomicis atque physiologicis qui disserit, Romanis ignotis, barbariem haud prorsus effugere poterit.

Non possum autem non Illustri Rudolphio, praeceptori meo reverendissimo, gratias habere maximas, ob insignem in me collocatam benevolentiam, qua in conscribenda hac dissertatione dignum me habuit. —

Neque minus obstrictus sum amico doctissimo Schlemm, universitatis nostrae prosectore, qui in dissecando monstro maximum mihi attulit auxilium, adeo, ut si quid accurate describere mihi contigit, huic id acceptum referam.

Infans monstrosus, qui in museo anatomico huius universitatis servatur, a matre sana, quae quatuor iam infantes optime formatos ediderat, simul cum foetu sano, igenti labore multisque doloribus et maxima haemorrhagia, natus est. Mater gravida nullis vexata erat laboribus, nisi haemorrhagia lenta, totam per graviditatem persistente, qua in graviditatibus praeteritis nunquam laboravit.

Semper fere observamus monstra simul cum foetu maturo et sano, a matre geri, cuius causa uteri vis formativa, sit venia verbi, non sufficiens procreandis duobus infantibus sanis, mihi esse videtur.

Anteaquam ad monstri descriptionem ipsam progrediar, liceat mihi monstrum nostrum cum aliis ei proximis comparare.

Quod attinet ad monstri nostri formam atque fabricam, medium tenet inter hemicephalos et acephalos, nisi molas magis etiam attingat, quam omnia illa acephala quorum descriptiones contuli. 1)

Caput simillimum est hemicephalo, qua de re etiam in describendo capite hemicephalorum sceleta comparavi. Hemicephalorum autem corpus, ita formatum est, ut fere nulla in parte a natura decedat. Adsunt externae corporis partes, interdum deformes quidem uti in foetibus non hemicephalis haud raro inveniuntur; adest collum, thorax et abdomen cum visceribus suis cet. Nostro autem in monstro, colli ne vestigium quidem adest, vertebrae etiam colli deficiunt. — Brachia etiam desiderantur, nisi papillas, quas aures esse in descriptione dixi, conamen haberi velis brachiorum. Contra hanc vero opinionem argumenta evidentissima foraminum illorum vestigia iuxta has papillas mihi esse videntur. — De cruribus pedibusque nihil nisi digiti agnosci possunt.

1] Solummodo descriptiones acephalorum contuli, quae vir Exp. Elben in dissertatione sua de acephalis maxima cum diligentia collegit, cum tot monstra descripta contineat, ut generaliora quaedam ex his facile colligi possint.

Sub cute adest contextus cellulosus altitudine plurium pollicum, in quo pinguedinis iacent acervi, qui in omnibus monstris acephalis inveniuntur. — Cutis etiam rugosa est, ut in acephalis invenitur, unde apparet, collectum, quod acephalorum recentium descriptores invenerunt, serum, exsiccatum fuisse.

Partes genitales in omnibus fere monstris acephalis facile inveniuntur, nostro autem in monstro, ne vestigium quidem earum adest, nisi canalium eorum unum, qui in cloaca finiuntur, pro vagina, aut pro vase deferente habeamus.

Partes autem internae acephalorum partes magnopere aemulantur, aut potius haud ita excultae sunt. — Ossa maxime sunt perfecta uti etiam in acephalis inveniuntur; tamen his in monstris extremorum inferiorum ossa semper adsunt, quamquam deformia; nostro autem in foetu ne vestigium quidem horum ossium percipi potest. Pelvis quoque ossa in acraniis fere semper perfecta, quamvis adsint, tamen adhuc cartilaginea neque integra sunt.

Musculi, qui in acephalis observantur, a via non deflectunt, a tela cellulosa autem difficulter discerni possunt; ita etiam nostro in monstro res se habet, quamquam pauci inveniuntur musculi.

Nervos fere semper multos in acephalis se invenisse scriptores affirmant, praecipue qui ex medulla spinali originem suam ducunt, cuius pars inferior semper fere adest, ergo crurum nervos, nonnullos etiam abdominis, quorum ganglia etiam observata sunt, deficientibus gangliis cervicalibus et nervo sympathico in thorace. Odhelius 1) et Buettner 2) nullos invenerunt nervos. — Nostro in monstro, cerebro atque medulla spinali carente, unum solummodo nervum invenimus, qui in infante perfecto ex cerebro radices suas ducit, tamen medulla impletum.

Quod vero attinet ad systema sanguiferum, de multis eius varietatibus certiores nos faciunt scriptores, qui monstra talia delineaverunt. Pauci tantum cor invenerunt, in pluribus tamen vasa animadverti potuerunt. Tres solummodo inveni acephalos descriptos, in quibus vasorum omnium origines atque fines vasa umbilicalia erant, ut nostro in monstro observatum est. (conf. * — *)

1] Neue Abhandl. d. Königl. Schwed. Akad. d. Wissensch. 6. Band. 1786. S. 172.
Tiedemanns Anat. d. kopflos. Missgeburten. Landshut 1813. pag. 44.
Elben dsst. de aceph. p. 31. Tab. VII. fig. 2.

2] Anatomische Wahrnehmungen. Königsb. u. Leipzig 1768. S. 188.
Tiedemanns. A. d. k. M. pag. 44.
Mémoires sur les foetns acephales par Béclard. Paris 1818. p. 16. Elben dsst. p. 20.

Visceribus pluribus caret monstrum nostrum, quam acranii. Thoracis viscera omnia desiderantur, in acephalis rarissime quidem quaedam ex iis inveniuntur. De cordis absentia iam supra locutus sum, quocum pulmones fere semper desunt. Tamen Gilibert eos in acephalo se invenisse affirmat. 1) Utres autem solummodo aderant loco pulmonum ergo pulmones amphibiorum proxime attigerunt.

Glandula thymus plurimis in acephalis deficit, quamquam Cooper et Malacarne 2) aliquid ei simile se invenisse certiores nos reddunt.

Pleura in omnibus acephalis etiam deest, simul cum diaphragmate, quorum in monstro nostro ne vestigium quidem invenimus.

Viscerum abdominalium nonnulla semper in acephalis monstris inveniuntur. Intestinis nulla carent, omnes etiam scriptores affirmant mucum vario colore, meconio similem se invenisse, quamquam in pluribus hepar desiderabatur. Lien, pancreas et omentum saepissime desunt. Et nostro in foetu ne vestigium quidem horum viscerum nec adeo hepatis invenimus. — Ventriculus haud omnibus in acephalis adest, tamen in nonnullis cum oesophago, duodenum autem et ieiunum fere semper desunt, et sola ilii pars in coecum desinens invenitur. Nostro in monstro ventriculum duodeno affixum, et ieiuni partem me invenisse puto, cuius argumenta curvaturam et gyros intestinorum tenuium esse censeo, quod infra fusius explicabo. (vid. † — †)

Cum intestinis plenioribus in acephalis semper processus vermiformis coniunctus esse solet, quem autem nostro in monstro frustra quaesivi. — Sententiam eorum, qui ex duobus intestinorum finibus, ex ore et ano, intestina oriri censent, foetus noster confirmare non videtur. Tres enim in eo sunt intestinorum partes seiunctae; ventriculus cum intestinorum tenuiorum parte, altera intestinorum pleniorum pars, tertia intestinum rectum in cloacam desinens. Quomodo igitur coli pars orta est? nec ex ano, nam cum intestino recto non convenit, nec ex superiore parte, ab intestinis enim tenuioribus seiuncta est.

Peritonaeum, plurimis in acephalis desideratum, nostro in foetu animadversum est, nam costas spurias, quas intestina tenuiora attingunt, obducit. — Mesenterium et

---

1] I. E. Gilibert adversaria medico-practica prima cet. Lugduni 1791. p. 132.
Mémoires sur l. foet. aceph. p. Béclard. Paris 1818 p. 37.
Elben dissert. de aceph. cet. p. 27. Tab. VI. Fig. 2.

2] Harles neues Iourn. d. ausländ. med. chirurg. Litteratur Band X. St. 1. pag. 18.
Prochasca disquisit. anat. physiol. organ. c. h. eiusque proc. vital. c. tabulis aeneis Viennae 1811.
Tiedemann A. d. k. M. p. 39. Mémoires s. l. foet. aceph. p. 19. Elben dissert. p. 55. T. XIV. fig. 2.

mesocolon adsunt, ut in acraniis, glandulas autem meseraicas, quas auctores in acephalis permagnas et multas invenerunt, nostro in monstro non vidimus.

Systema urinarium plurimis in acephalis maxime est perfectum. Plurimi scriptores renum et vesicae urinariae mentionem faciunt, solus Klein, quod etiam nostro in foetu vidimus, ureteres sine renibus et vesica observavit.

Renes succenturiati, quibus acephali interdum etiam carent, qui autem paene semper iusto minores adsunt, nostro in foetu desiderantur.

Genitalia interna pauci invenerunt auctores normalia atque perfecta, nostro in monstro plane absunt.

His ex generalioribus iam patere mihi videtur, monstrum nostrum animalibus inferiorum ordinum proximum esse, quam ob rem etiam ex omnibus corporis partibus os maxime excultum esse censeo, nam in animalibus inferioribus, os et systema reproductivum maxime exculta videmus. Hoc autem virorum celeberrimorum sententiam, qui hominem omnes animalium ordines perurrere censent, confirmare videtur. Huius rei causam ex cordis defectu magis quam cerebri absentia deducere, ut vir Exper. Elben 1) non ausim. Tamen hemicephala monstra ad eius partes stare videntur, nam haec quamquam cerebro carent, ceteris tamen partibus perfectis fere semper gaudent.

Ex descriptione ipsa magis etiam, si quid ego hic iudico, patebit, monstrum nostrum inferiores animalium ordines attingere, quod l. b. ipse videbit.

M o n s t r i f o r m a.

Monstrum, quod mihi his pagellis describendum est, forma ovo complanato haud dissimile est, sic ut superiori quam inferiori parte largius sit. Maxima eius longitudo pollices explet quinque cum dimidio, in latitudinem autem, superiori in parte, ubi os observamus, quatuor cum quadrante, in inferiori, trium cum dimidio patet.

---

1) Ernesti Elben dissert de acephal. cet. pag. 86. „Corde enim deficiente, non vero capite solo absente, aliorum semper invenitur organorum constans defectus, deformitasque perennis cet. — Idem fere ait pag. 98. „Illis vero de cerebro, medulla eiusque emissariis, deque gangliis prolatis, constare opinor, nullius organi in corpore foetus imperium aeque vigere, ac cordis, quo labante reliquas partes tantum praebet magis minusve evolutas. — Et pag. 99, ubi de genitalium defectu disserit auctor. „Eminent hic etiam prae aliis cordis opes, hoc enim vitium a corde exoriretur deficiente, non ex cerebri absentia.“

Cuti obductum videtur, quae hinc inde laevis, ubi ossa subsunt ex. gr. maxilla inferior, maxima ex parte rugosa est.

Monstri color non praeter naturam fuisse videtur, nam nunc idem est, uti omnium earum partium, quae per aliquod tempus in spiritu servatae sunt. Tamen nunc maculae ex fusco griseae 1) in anteriori parte minores atque parciores, in posteriori autem maiores pluresque adsunt.

Superficies anterior.

Superficiem hanc anteriorem nomino, quia in ea os 2) et foramen 3), quod avium cloacae simile est, videmus. Anus iam in omnibus iis monstris in quibus ossa pubis inter se non coniunguntur, in anteriori corporis superficie positus esse solet, cloaca ergo, quae intestinorum et vesicae urinariae ora continet eo magis in corporis superficie anteriori posita esse debet. Hac ex causa etiam largiorem monstri partem superiorem, tenuiorem autem inferiorem esse credo.

Hac in superficie memoratu dignissimum est os quod in superiori parte videmus, de quo autem infra pluribus mihi disserendum erit.

Supra os duas videmus incisuras, quae lobulum a monstro dividunt, quem nasum 4) esse puto. Argumenta huius opinionis infra afferam, ubi de ore disseram. Tamen huius lobuli situm iam loco argumenti afferre possum. — In singulis incisionibus rima est longitudine duarum aut trium linearum, quas rimas palbebrarum esse, nemo negare potest, nam sitae sunt in utroque nasi latere, ante orbitam, quod dissectio nobis ostendit; adsunt palpebrae, minimae quidem sed ciliis praeditae, ne supercilia quidem absunt. Bulbum oculorum non invenimus, sed orbitam pinguedine impletam; tamen et musculi et nervi adsunt, quos fusius infra describam.

Intervallo duorum pollicum cum puadrante sub ore, illud foramen 5) vidimus, quod, ut iam supra dixi cloaca esse videtur. Longitudine est novem linearum, latitudine trium. Epidermide, aut potius epitelio obductum videtur. In eo quatuor finiuntur canaliculi, duo a superiori, duo ab inferiori monstri parte venientes. Hi canales coeci sunt, ac neque cum intestinis, neque cum alio viscere conveniunt; tamen puto superiores loco ureterum, inferiores loco ani adesse.

1] Tab. I. K. 2] Tab. I. A. Tab. II. Fig. I. 3] Tab. I. L. 4] Tab. I. I. Tab. II. Fig. I. n.
5] Tab. I. L.

Sub cloaca lobulum 1) videmus, qui abdomen est, nam in eo quod de intestinis et omnibus visceribus adest, positum est. Argumentum quoque sententiae meae, qua hic abdomen esse censeo, est, quod funiculus umbilicalis 2), aut potius funiculi umbilicales in eum se inserunt.

Duorum scilicet canalium, quos in lateribus lobuli videmus alter in sinistro latere 3), arteria, alter in dextro 4) est vena umbilicalis, de quorum decursu atque distributione infra. Saepissime quoque a viris praestantissimis, et anatomia arteque obstetricia maxime peritis, haec funiculi umbilicalis divisio, ita describitur, ut duobus abdominis locis se inserat, quasi duo umbilici adfuerint. Nonnullis etiam scriptores tales foetus pro iis habuerunt, qui funiculo umbilicali carent.

Partem, quae sub abdomine sita 5), et a monstro duabus altis incisionibus disiuncta est, pedes coniunctos esse censeo. In ea adsunt plures digiti, ex quibus hallux maxime distinctus est, ossibus autem carent. Et situs et digiti illi hanc sententiam affirmare videntur.

Superficies posterior.

Haec superficies glabrior anteriori est, maioribus autem, atque pluribus maculis iam supra memoratis conspicua.

In superiori parte incisiones etiam duae observantur, quae nasum disiungunt, supra quas partem exiguam crinibus obtectam, occiput esse, nemo dubitare potest.

In utroque huius superficiei latere iutervallo duorum ab occipite pollicum duas videmus papillas 6), quas pro auribus habemus. Nam altera earum, si accuratius inspicimus, curvata est, ut aliquam aurium similitudinem praebeat, ante eas etiam vestigia aditus ad meatum auditorium adsunt.

Oris descriptio.

In parte superiori anterioris superficiei os 7) sola hoc in monstro pars, quae primo adspectu non molam esse, sed re vera monstrum, nobis persuadet, situm est, latitudine

1] Tab. I. P. 2] Tab. I. M. 3] Tab. I. M. 1. 4] Tab. I. M. 2. 5] Tab. I. O. 6] Tab. I. N. 7] Tab. I. A. Tab. II. Fig. I.

pollicis unius, altitudine dodrantis pollicis. Os autem ita conformatum apparet, ut omnes eius partes facile distingui possint. Adsunt labia, lingua, uvula etc.

Labium inferius 1) nihil fere praeter naturam nobis praebet, superius 2) autem disiunctum est, ut ideo labium leporinum quod vocamus, adsit. Eodem modo palatum durum 3) seperatum est, ita ut uvula 4), adest igitur illa deformatio, quam rictum leoninum appellamus. Arcum faucium atque tonsillas non vidi, adesse tamen potuerunt, tam parvae autem, ut nunc, vi contrahente spiritus vini, disparuerint.

Palati fissura 5) adspectum nobis praebet cavi nasi. Hoc cavum nasum appello, quia altero in latere duo adsunt ossa 6), quae conchis haud dissimilia videntur. Non curvata sunt, quis autem in tali monstro partem unam non a natura alienam inveniet? Si omnes partes ita conformatas quaesiveris, ut in infante bene formato, ne unam quidem partem recognosces, praecipue tali in foetu. — Situs tamen horum ossium fere extra omnem dubitationem ponet, ea couchas esse, nam alterum supra alterum positum est, itaque sunt adfixa, ut margines convexae liberae sint in nasi cavo. His ex causis etiam lobulum, quem supra commemoravi, nasum esse censeo.

Alterum latus laeve est, et de ossibus conchis similibus ne vestigium quidem adest, tamen os in hoc latere sentimus, quam ob rem septum narium 7) esse censeo. Supra sinistrum quoque latus labii superioris foramen 8) est, quod aditum ad canalem nobis praebet, ope specilli. Hoc narem sinistram esse puto, proinde laeve illud latus, septum. In dextro latere naris non adest.

In ambabus maxillis limbus alveolaris 9) adest; inter eum autem et labium inferius plica epitelii cavi oris. De osse maxillae inferioris infra accuratius disseram, ubi de ossibus mihi exponendum erit.

Nihil praeter naturam lingua 10), frenulo carens, praebet. — Oris cavum clausum est, ita, ut nec ad pharyngem, nec ad laryngem aditum praebeat. Idem etiam praeceptor Illustris Rudolphi observavit, in monstroso capite, quod sine corpore natum est.

1] Tab. I B. Tab. II. Fig. I. a. 2] Tab. I. C. Tab. II. Fig. I. l. 3] Tab. I. G. Tab. II. Fig. I. c. 4] Tab. I. F. Tab. II. Fig. I. d. d. 5] Tab. I. H. Tab. II. Fig. I. e. 6] Tab. II. Fig. I. f. f. 7] Tab. II. Fig. I. g. 8] Tab. II. Fig. I. h. 9] Tab. I. D. Tab. II. Fig. I. i, l. 10] Tab. I. E. Tab. II. Fig. I. m.

Monstri dissectio.

Maxima foetus pars e contextu celluloso 1) constat, in quo, nonnullis in locis, praecipue iuxta columnam vertebrarum 2) et in pelvis regione 3), cartilagines, quae pelvis ossium loco adsunt, tegentes, acervi iacent pinguedinis. Neque minus fibrae adsunt musculares, paucae quidem, aliae dispersae, nullis ossibus affixae, aliae autem affixae, et ita positae, ut facile cognosci possint.

Nervi et vasa 4) non desunt, nam si musculi adsunt, nervi deesse nequeunt, et sine vasis nulla animalis pars fingi potest, quod etiam partes vi abnormi corporis formatae (Pseudoorgane) nos docent, vasis enim omnes gaudent, et interdum quidem maximis, quibus subligatis talium partium incrementum cessat.

Ossa adesse iam dixi, et in describendis partibus foetus internis primum de iis disseram, et cum praeter contextum cellulosum maximam foetus partem conficiant, et maxime exculta sint, quam ob causam gravissimae foetus partes, et eorum situ descripto facilius aliarum partium situs describi possit.

Monstri ossa.

Dura sunt, ut in infante quem iustum tempus mater gessit, sed minora iis, nonnulla etiam, quae talibus infantibus iam in ossa mutata esse solent, cartilagines adhuc sunt, v. c. pelvis ossa 5), maxima fragmentorum ossis sterni 6) pars quae adsunt, costae nonnullae 7) etc.

Capitis ossa.

Caput quadrangulum fere est, posteriori parte largius, anteriori tenuius. — Calvaria est hemicephali, nam non convexa est, sed complanata, nec ossibus clausa. — Omnia fere, quae in capitis bene formati ossibus arcuata esse solent, angulata hoc in capite sunt.

Ossa parietalia, tribus ex partibus constant, duabus anterioribus maioribus, una posteriore minore. Pars anterior et superior rectangulum cum anteriore inferiore conficit;

1] Tab. II. Fig. II. a. 2] Tab. II. Fig. II. l. l. 3] Tab. II. Fig. II. m. n. o. 4] Tab. II. Fig. III. l. l. m. m. 5] Tab. II. Fig. II. m. n. o. 6] Tab. II. Fig. III. i. 7] Tab. II. Fig. II. k.

posterior pars autem, duae etiam partes fuisse videntur, quae nunc eodem in angulo, ut anteriores, concretae sunt. Ergo lateralis ossis pars, ex anteriore inferiore ossis parte, et ex inferiore posterioris partis constans, ab superiori ex anteriori superiori ossis parte, et superiori posterioris partis constante distingui potest.

Nunquam, fateor, viri in anatomia maxime versati, ossa bregmatis quatuor ex partibus constitisse viderunt, tamen res mihi hoc modo explicari posse videtur:

Quatuor aut plura aderant puncta ossificationis, in osse ad normam formato, deficiente autem cerebro; calvaria convexam suam formam retinere non potuit, sed collapsa est, ergo superiores ossis partes ab inferioribus seiunctae serius cum his in os unum coire non potuerunt nunc tantum cum periosteo coniunguntur. Pars autem posterior, tamen coniuncta, argumentum satis perspicuum mihi videtur, superiores partes cum inferioribus unius esse ossis. Nisi autem ad os bregmatis pertinerent, cuius partes ossis essent? Os temporum sine his partibus formae fere naturalis est, et, alia ossa non esse, situs nos docet.

Os parietale, si tres eius partes simul complectimur, minimum est, quadratum, a iusta forma multum non recedens, paululum curvatum, cum osse alterius lateris non conveniens.

In uno ex iis hemicephalis, quos contuli, ossa bregmatis inveni, maiora quidem, et ex uno constantia, inter se quoque convenientia, sed eundem angulum cum osse temporum conficientia, quem nostro in foetu ossis bregmatis partes inter se conficiunt. In aliis hemicephalis nullum horum ossium fragmentum inveni.

Os occipitis 1) ex quatuor constat partibus ut in omnibus foetibus maturis. — Partes laterales, seu condyloideae 2) forma sunt quadrangula incerta, crassae, spinam habent minimam, supra foramen magnum, tubercula et fossas plures, et post Casserii fonticulum 3) fissuram. Attingit haec pars os temporum 4) quocum foramen facit lacerum permagnum Attingit etiam os bregmatis, partem occipitalem 5) ossis occipitalis, partem basilarem et vertebram superiorem 6) quacum sola membrana, non processibus condyloideis coniuncta est.

Pars occipitalis 5) seu media forma est sexangulari, valde curvata, non tam crassa quam partes condyloideae, sed crassior reliquis capitis ossibus. — Protuberantia occipitalis non in medio est osse, et huius ossis partis, sed magis versus latus sinistrum. —

1] Tab. II. Fig. II. b. c. Fig. III. a. 2] Tab. II. Fig. II. c. Fig. III. a. 3] Tab. II. Fig. II. f. Fig. III. b. 4] Tab. II. Fig. II. d. Fig. III. c. d. e. 5] Tab. II. Fig. II. b. 6] Tab. II. Fig. II. u.

Margines lambdoidei non adsunt, quod etiam in omnibus hemicephalis comparatis ita inveni.

Partem basilarem describere nequeo, quia caput a vertebris separare noluimus, ne tota monstri forma periret.

Fines foraminis magni 1) ovalis, cuius altitudo implet quinque, longitudo decem lineas, conficiunt pars condyloidea dextra, 2) pars occipitalis 3) et pars basilaris. Non in medio osse et columna vertebrarum hoc foramen positum est, sed magis versus latus dextrum.

Fonticulus parvus non adest, quia ossa bregmatis inter se non conveniunt, pariter ac eadem ex causa fonticulus magnus, sed caput apertum sola membrana est clausum. Foramen id triquetrum est, apex versus frontem, basis versus occiput sita, sic ut os frontis angulum anteriorem, ossa bregmatis crura conficiant, pars autem ossis occipitis media basin trianguli.

Os temporum. 4) Unicum capitis os, cuius in foetu partes inter se coniunctae sunt. Forma quoque ex omnibus capitis ossibus minime a natura decedit. Ex ipsis autem ossis partibus pars squamosa 5) maxime cum naturali fabrica convenit.

Pars mastoidea 6) cellulosa videtur, cuius argumenta plura foramina parva in huius ossis superficie sunt. Meatus auditorius et processus mastoideus deficiunt, processus styloideus autem, minimus et antrorsum flexus adest.

Ante processum styloideum canalis est osseus a posteriori et inferiori ad anteriorem et superiorem ossis partem oblique proficiscens, qui loco canalis carotici adest, nam in eo posita est arteria, de cuius decursu infra.

Processus zygomaticus 7) obliquus, fere nihil praeter naturam praebet, ita ut in nullo eorum hemicephalorum, quos contuli, inveni. In processus zygomatici radice adest spina 8) longitudine quatuor fere linearum, radice larga, arcuata, antrorsum curvata, cui autem neque musculi, neque ligamenta adfixa sunt.

Ossis sphenoidei ala magna per musculum temporalem sentiri potest.

Ossis ethmoidei nullae partes nisi concha et lamina perpendicularis adesse videntur, nam faciei ambo latera, inter se coniuncta non sunt, facile enim commoveri possunt.

1] Tab. II. Fig. II. p. 2] Tab. II. Fig. II. c. Fig. III. a. 3] Tab. II. Fig. II. b. 4] Tab. II. Fig. II. d. Fig. III. c. d. e. g. 5] Tab. II. Fig. III. g. 6] Tab. II. Fig. II. d. Fig. III. c. 7] Tab. II. Fig. III. e. 8] Tab. II. Fig. II. e. Fig. III. d.

Os frontis ex duabus constat partibus, anteriori parte inter se coniunctis, posteriori disiunctis. Non convexum est, sed planum ita ut animalium ossi frontis simillimum sit, quod etiam in hemicephalis comparatis vidi. Pars orbitalis versus nasum adest, ubi ope specilli fornix sentiri potest, in alia autem orbitae parte os frontis ipsum orbitae fornicem efficit.

Ossis zygomatici situs maxime est obliquus, et os ita curvatum, ut margo eius orbitalis, ultra ossis maxillaris marginem valde promineat, ossis autem totius forma canthari myxo non dissimile sit. In uno hemicephalo simili modo os zygomaticum formatum inveni, sed non tam curvatum. Fere totum quoque marginem infraorbitalem constituit, ita, ut os maxillare superius minimam huius maginis partem efficiat.

Ossa maxillaria superiora non coniuncta esse, iam supra commemoravi, cum de ore locutus sum. Iam supra quoque dixi, minimum ad marginem infraorbitalem constituendam conferre. Adest autem foramen infraorbitale, in fovea maxillare màxima.

Ossa nasi non adsunt, lobulus ille, quem nasum esse censeo, ossibus caret, ex solo contextu celluloso constat.

Conchas 1) et septum narium 2) cum nasum describerem fusius iam descripsi.

Os maxillare inferius 3) iusto crassius est, sed non tam altum, uti debet. Ex duabus adhuc constat partibus. Angulus non adest. — Processum coronoideum ex musculi temporalis insertione agnovimus. Est spina minima in medio superiori ossis margine, inter mentum et processum condyloideum, qui largior est osse, nullo autem angulo ab osse disiunctus, os ergo maxime simile est ossi maxillari animalium inferiorum ordinum.

Mentum est largissimum et fissum. Hoc loco non tam altum est os, quam in processu condyloideo, sed crassius.

Loco canalis alveolaris sulcus adest, in interiori ossis latere, a processu condyloideo oriens, sed non ad mentum pertinens, nullum autem nervum aut vas in hocce canali invenimus. — Lineae illius obliquae anterioris vestigia invenimus, certissimum, ut mihi videtur, argumentum, lineas tales atque processus non ex musculis agentibus oriri, nam masseter deficit, ita ut omnes musculi qui processui styloideo adfixi sunt, tamen adsunt processus ille et haec linea. — Linea interna autem obliqua deest.

Trunci ossa.

Columna vertebrarum. 4) Undecim adsunt vertebrae, plures autem concretae.

1] Tab. II. Fig. I. f. f. 2] Tab. II. Fig. I. g. 3] Tab. II Fig. II. g. Fig. III. f. 4] Tab. II. Fig. II, l. l.

Trium superiorum, 1) quarum duae sunt coalitae, processus spinosi sunt largissimi. Canalis earum clausus non est, adest ergo spina, quam vocamus bifidam. Corpora harum vertebrarum complanata sunt, satis larga; processus transversi concreti, iis sunt adfixi, non curvati.

Octo inferiorum vertebrarum corpora crassiora sunt superioribus, magis iustam attingentia formam. — Processus spinosi brevissimi sunt et cartilaginei; transversi crassi, et costis, uti debent, iuncti, canalem efficiunt magnum, in fine autem non clausum, contextu celluloso impletum.

Ex argumentis infra afferendis, nullas adesse vertebras colli censeo, neque minus vertebras lumborum os sacrum et coccygis deesse, nam apertus est canalis vertebrarum, qui in infantibus bene formatis osse sacro clauditur. Quae igitur vertebrae adsunt, dorsales sunt, quarum numerum quoque explent.

Ex multis enim concretis vertebris, duas ita inter se iunctas esse puto, ut pro una habeamus, et processus spinosi vertebrarum superiorum largiores sunt, quam ut pro tribus vertebris haberi possint, solummodo autem tribus sulcis divisae sunt.

Costarum 2) in dextro foetus latere adsunt novem, secunda, tertia et quarta deficientibus.

Costa prima 3) iuxta caput iacet, nullae igitur adsunt vertebrae colli, sed neque vertebris neque capite iunctae. Pars eius anterior largissima est, ita, ut manubrium esse sterni 4) cum costa concretum, hancce autem primam costam censeam.

Secundam, tertiam quartamque costam deesse dixi, nam inter primam illam, nunc descriptam, et proximam magnum adest spatium, et sextam pro illa habuimus, quia sextae costae magnitudinem et formam maxime aequat.

Quinta costa 5) cartilaginea adhuc est, etiam cum vertebris non coniuncta, attingit tamen cartilaginem quae loco ossis sterni adest, sed non cum eo concrevit.

Sexta septima et octava costa 6) in media parte coalitae sunt, finibus ambobus autem seiunctae. Sexta octavaque iusto modo vertebris coniunctae sunt, septima autem usque ad vertebras non pertinet. Sexta omnium costarum longissima est. —

Cartilagines harum trium costarum 7) minimae, maximeque curvatae sunt neque sternum attingunt, thorax igitur non est clausus.

1] Tab. II. Fig. II. u. 2] Tab. II. Fig. II. i, k. k. 3] Tab. II. Fig. II. i. 4] Tab. II. Fig. II. h. Fig. III. h. 5] Tab. II. Fig. II. k. 1. 6] Tab. II. Fig. II. k. 2. 7] Tab. II. Fig. III. k. k.

Nona costa et decima 1) parvae sunt praeter naturam, nihil autem a natura decedens praebent. — Cartilagines earum inter se non iunguntur.

Undecima 2) atque duodecima costa cartilagineae adhuc sunt, duodecima minima.

Sterni manubrium 3) osseum est, et, uti iam supra commemoravi, cum costa prima coniunctum, nulla autem interest cartilago.

Corpus sterni minimum est; cartilagineum, et ex duabus constat partibus, quae longe inter se distant. —

Dextra 4) inter primam atque quintam posita est costam, largior est sinistra, et in latere cartilagines costarum, nullis costis autem iunctae. De quintae costae coniunctione cum sterno, iam supra mentionem feci. — Subter hac quintae costae cartilagine, cartilago adhuc est costae unius, ad eam autem costa sexta non pertinet. — Sinistra in sterni parte, cartilago est parva, cum duabus costarum cartilaginibus, quas autem costae non attingunt.

Pelvis ossa adhuc cartilaginea sunt atque minima, iuxta vertebram ultimam posita. Agnosci possunt os ilium 5) ossis ischii ramus descendens 6) ac ossis pubis ramus transversus 7). — — Cum osse innominato alterius lateris non conveniunt.

Ossa partium corporis extremarum

deficiunt, nam in pede, cuius digitorum vestigium ex his partibus solum adest, nec ossis, neque cartilaginis vestigium adest.

De monstri musculis atque nervis.

Simul de musculis ac nervis agam, quod illos sine his esse censeo non posse. Illustris quidem Rudolphi in infante monstroso, cranio carente, nervos vidit, ex solo neurilemate constare, medulla impletos, si musculos intrarent.

Praeter strata fibrarum muscularium, musculus temporalis facillime cognosci potest. Radices suas ducit ab osse temporum, ossis sphenoidei ala magna, et osse frontis, fossam zygomaticam implet, tenuior sub arcum zygomaticum transit, et spinae illi, quae processus coronoidei loco adest, adfigitur.

1] Tab. II. Fig. II. k. 3. 2] Tab. II. Fig. II. k. 4. 3] Tab. II. Fig. II. h. Fig. III. h. 4] Tab. II. Fig. III. i. 5] Tab. II. Fig. II. m. 6] Tab. II. Fig. II. n. 7] Tab. II. Fig. II. o.

Musculi etiam in orbita siti sunt, sed bulbo deficiente quinam sint cognosci non potest, tamen musculus rectus superior cum nullo alio confundi potest. Origines ducunt omnes a posteriori orbitae parte, et contextu celluloso in anteriori orbitae parte finiuntur.

Antequam de nervis agam, de encephelo eiusque parte, medulla spinali, mihi disserendum est.

Cranii cavum contextu celluloso impletur, nec ulla cerebri pars adest. — In fossa illa vertebrarum superiorum quae loco canalis vertebrarum adest, saccus 1) positus est membranaceus, crassus, cranii cavo et vertebrarum canali adfixus, nullum nec ad cranii cavum, nec vertebrarum canalem aditum praebens, et vacuus. Ne vestigium quidem medullae aut aquae, quae in saccis spinarum bifidarum adesse solet, invenimus. Hunc saccum cerebri membranas, cerebrum autem aquae aut alia vi deletum esse censeo. Sacci situs autem nullum relinquit dubium, quin cerebri partes, quaé adfuerunt, continuerit.

Nervi, quos vidimus, medulla sunt praediti, quamquam cerebri solae adsunt membranae. Ex foramine infraorbitali nervi veniunt plures, in quibus medullam, oculis armatis discrevimus. Decursum autem horum nervorum, ob exiguitatem, persequi non potuimus.

De monstri vasis.

Vasa omnia monstrum ex vasis accepit umbilicalibus. 2) * Idem scriptores nonnulli viderunt, ex. gr. Antonius (Antoine) in agno acephalo 3) neque minus Gourraigne 4) et Bland 5) *

Arteria umbilicalis 6) per umbilicum sinistrum abdomen intrat, et iuxta columnam vertebrarum, in sinistro eius latere ad caput proficiscitur.

Primum dedit ramum dextrorsum intestinis tenuibus, tum tres sinistrorsum intestinis plenis, deinde ramum, qui in duos seiungitur ramulos, quorum inferior ad peritonaeum superior ad columnam vertebrarum proficiscitur.

In thoracis cavo nonnullos dat ramos contextui celluloso et ossibus.

1] Tab. ll. Fig. ll. q. 2] Tab. l. M.
3] Historie de l'acad. des scieuces de Paris 703. p. 29.
Tiedemann. Anatom. d. kopflosen Missgeburten. Landshut 813. p. 46.
Béclard mémoires sur le foet. aceph. Paris 818. p. 10. Ernesti Elben dsst. de acephalis cet .p. 5.
4] Histoire de l'academ. des sciences de Paris 1741. Tiedemann Anatom. d. kopfl. Missgeb. p. 12.
5] Philos. Transact. Vol. LXXI. Journal für Geburtshelfer Bd. 1. P. 45. Elben dsst. p. 13 et 30.
6] Tab. l. M. 1. Tab. ll. Fig. lll. l. l. l.

In spatio inter primam et quintam costam arteria seiungitur. Ramus sinister sub maxilla transiit, et ita ad capitis latus sinistrum pervenit. Ramus dexter ad hoc capitis latus proficiscitur et in canalem ante processum styloideum, supra (pag. 15) iam descriptum, intrat.

Ex hoc arteriae decursu facile, ut mihi videtur, explicari potest, cur ex omnibus foetus partibus caput maxime excultum sit, nam fere omnem, qui foetui advehitur sanguinem accepit.

In nulla autem parte, neque in thoracis cavo, nec in alio loco, arteria amplior est aliis eius partibus sed sensim sensimque deminuitur, ut fieri solet, igitur ne vestigium quidem cordis adest; evidentissima, ut mihi videtur, viri experientissimi Elben sententiae refutatio, qui corde deficiente, caput etiam semper deessé censet. Ex dissertationis eius inscriptione 1) constat, monstra, capite carentia, et corde carentia eadem ei videri. Quae sententia ex loco in corollariis dissertationi adiectis 2) satis perspicue constat, nam hoc loco quo virorum illorum celeberrimorum sententiam, qui acephalos ex hydrocephalo rupto oriri putant, refutat, haec habet: „Sat mihi hoc loco de his sit dictum, monendo tantum, „deficienti cordi, circulantis sanguinis sedi quasi primaeque causae me omnia illa adscribere „vitia deformitatesque, quae nostris inveniuntur in acephalis“ cet. et aliis dissertationis suae locis quos afferre longum esset, lector benevolus autem facillime inveniet 3) Nostro in monstro autem ne vestigium quidem cordis inveniri potest, tamen caput omnium partium maxime excultum est atque perfectum.

Vena umbilicalis 4) in dextra parte posita amplio arteria, in thoracis cavo, ab exitu suo e corpore propius, quam arteria dividitur ex tribus componitur radicibus, quarum prima ex dextro, altera ex sinistro capitis latere, tertia ex vertebris oritur, ita, ut cum arteria decussatim decurrat. Venis ex intestinis et ex contextu celluloso susceptis, per umbilicum dextrum e corpore prodit.

De monstri visceribus.

De encephalo et corde deficientibus iam supra locutus sum. Ita etiam pulmonibus omnibusque thoracis visceribus caret foetus, et thoracis cavum contextu illo celluloso ex quo totum fere monstrum constat, impletum est.

---

1) Ernesti Elben dsst. academica anatomico-physiologica de acephalis sive monstris corde carentibus. Berolini 1821.

2) Dsst. laudata p. 86.

3) Elben dsst. p. 87. p. 97. 99.

4) Tab. I. M. 2. Tab. II. Fig. III. m. m. m.

Ex visceribus abdominis, peritonaeo involutis, iecur, lien, pancreas, renes, vesica urinaria ac genitalia desunt, adsunt sola intestinorum fragmenta. † Intestini tenuioris duodeni 1) quod ex eius flexu agnovi, et ieiuni intestini 2) pars adest † quae mesenteriolo costis spuriis adfixa est. Duodeni intestini parti saccus minimus ope ligamenti membranacei adfixus est, quem, ob formam atque situm, ventriculum 3) esse censeo. — Cum intestini plenioris parte, quae adest, non convenit, nec aditum ad eam praebet.

Intestini plenioris pars, mesocolo abdominis tegumentis adfixa est.

Constat ex coli transversi 4), multo ampliori, et coli descendentis 5), parte, quae nullum praebet exitum ad cloacam. Tota huius intestini coli pars meconio impleta erat, quod tamen ab hepate deficiente secretum esse non potest, refutata igitur est eorum sententia, qui meconium ab hepate secerni putant.

De canalibus illis qui in cloaca finiuntur, iam supra locutus sum, et pro quibus partibus habeam, etiam iam attuli.

Nunc mibi superest de talium monstrorum origine aliquid proferre, ideoque etiam de hemicephalorum origine, nam hemicephalos hocce monstrum, maxime attingere capitis descriptio extra omnem dubitationis aleam ponet si quid meum hic iudicium valet. De hemicephalorum autem origine disserere non licet ob angustos dissertatiunculae limites, quis etiam est qui eos ex hydrocephalo rupto oriri non putet? De origine talium monstrorum autem non nisi hypotheses afferre possem, veteres autem repetere nolo, novas autem mihi, in physiologia tironi deficiunt vires, cum tot a tam sagacibus naturae scrutatoribus excogitatae prostent. Coniecturis quoque physiologia, totaque medicina proh dolor! iam ita abundat, ut novas afferre magis ei ad detrimentum quam ad usum pertineret. Duas tamen quaestiones proponere mihi liceat, a physiologis solvendas. Si mater in conceptionis momento, aut paulo post, convulsionibus corripitur, quod interdum tamen a medicis observatum est, nonne illae ad procreanda monstra causam praebere possunt? aut si pater ebrius, praecipue cerevisia aut spiritu frumenti coitum exercet?

Observationes hac de re ignoro, sed tamen ad illustrandam monstrorum originem multa, ut mihi videtur, conferre possunt.

---

1) Tab. II. Fig. III. o. 2) Tab. II. Fig. III. p. 3) Tab. II. Fig. III. n. 4) Tab. II. Fig. III. r. 5) Tab. II. Fig. III. q.

Iconum explicatio.

Tabula prima.

Monstri superficies anterior.

A. Os.
B. Labium inferius.
C. Labium superius.
D. Limbus aveolaris inferior.
E. Lingua.
F. Uvulae pars.
G. Palatum duram fissum.
H. Rima, quae aditum ad nasum praebet.
J. Nasus.
K. Maculae fusco griseae.
L. Cloaca.
M. 1. Arteria } umbilicalis.
M. 2. Vena } umbilicalis.
N. Auris dextra.
O. Pes.
P. Abdomen.

Tabula secunda.

Figura I. Monstri os.

a. Labium inferius.
b. Labium superius.
c. Palatum durum.
d. d. Uvula fissá.
e. Palati duri fissura.
f. f. Conchae.
g. Septum narium.
h. Naris sinistra.
i. Limbus alveolaris superior.
l. Limbus alveolaris inferior.
m. Lingua.
n. Nasus.

Figura II. Monstri dissecti superficies posterior.

a. Contextus cellulosus, ex quo totum fere monstrum constat.
b. Pars occipitalis } ossis occipitis.
c. Pars condyloidea } ossis occipitis.
d. Os temporum.
e. Spina in processus zygomatici radice.
f. Fonticulus Casserii.
g. Os maxillare inferius.
h. Ossis sterni manubrium, cum
i. Costa prima concretum.
k. k. k. Costae, quarum sexta septima et octava sunt concretae.
l. l. Vertebrae dorsi. u. Primae vertebrae et canalis earum apertus.
m. Ossis ilium cartilago.
n. Ossis ischii ramus descendens.
o. Ossis pubis ramus transversus.
p. Foramen magnum ossis occipitis.
q. Encephali membranae.

Figura III. Monstri dissecti superficies anterior.

a. Pars condyloidea ossis occipitis.
b. Fonticulus Casserii.
c. Ossis temporum pars mastoidea.
d. Spina in radice processus zygomatici.
e. Processus zygomaticus.
f. Os maxillare inferius.
g. Pars squamosa ossis temporum.
h. Manubrium sterni.
i. Quod adest ex sterni corpore.
k. k. k. Costarum cartilagines.
l. l. l. Arteria umbilicalis, suiscum ramulis.
m. m. m. Vena umbilicalis.
n. Stomachus.
o. Intestini duodeni } pars quae adest.
p. Intestini ieiuni } pars quae adest.
q. Colon descendens.
r. Colon transversum.

Vitae Curriculum.

Ego Gustavus Lieber, anno MDCCXCVI Berolini natus sum, patre Friderico Guilelmo, mercatore, matre Carolina Catharina Barbara e gente Bauriana. Litteris primum domi, tum in schola Clar. Hartung institutus, anno MDCCCIX in gymnasium Fridericianum, quod t. t. directore beato Bernhardi, viro cum in aliis disciplinis, tum in paedagogica illustrissimo, florebat. Anno MDCCCXIII pharmaciae me dedi, artem per biennium in officina viri doctissimi Guilelmi Bergemann hac in urbe addidici.

Bello autem anno MDCCCXV contra Napoleonem renovato, arma contra patriae hostes cepi et in cohorte Colbergiana, maxima virtute conspicua, rei publicae officia praestiti. — Pace reconciliata Berolinum redii, ubi per semestre humanioribus, quae dicuntur litteris me dedi, tum examine, quod legibus praescribitur absoluto, autumno anni h. s decimi sexti die IX mensis Septembris Rectore magnifico Link civibus huius litterarum universitatis adscriptus sum. Hoc tempore audivi Ill. Rudolphi de anatomia cum generali tum speciali, neque minus de organis sensuum, et de entozoorum historia naturali, Ill. Knape de osteologia, syndesmologia, et splanchnologia disserentes, neque minus duas per hiemes amborum virorum Ill. exercitationibus cadavera dissecandi adfui. Lectionibus etiam, ea assiduitate qua par est interfui Cel. Rosenthal de neurologia atque angiologia, Cel. Osann de physiologia tam generali quam nervorum, Cel. Link de botanice, Cel. Turte de physicis atque chemicis, Cel. Friderici Hufeland de pathologia et Cel. Schleiermacher de politice.

Anno huius saeculi decimo octavo Ienam me contuli, ut eos viros audirem, qui philosophia naturali, maxime excellunt. Hic adfui scholis Ill. Luden de historia aevi medii, Cel. Fries de psychologia, Cel. Oken de physiologia, Cel. Kieser de therapia universa, Cel. Caroli Guil. Stark de organi visus atque auditus morbis, et Cel. Lenz de mineralogia universa. A quo etiam societatis mineralogicae sodalibus adscriptus sum. Omnibus his viris, praecipue praeceptoribus fautoribusque di-

lectissimis Oken atque Kieser, gratias quas possum maximas habeo, tum pro benignitate, qua me ad disciplinam adduxerunt, tum pro amicitia, qua me in domibus suis receperunt.

Anno MDCCCXIX Berolinum redux a Rectore magnifico Weiss die XXI. mens. Aprilis in album huius litterarum universitatis relatus sum. Ab hoc inde tempore interfui lectionibus Ill. Rudolphi de anatomia comparata et pathologica, Cel. Link de historia naturali. Cel. Rust de chirurgia, tam generali, quam speciali, atque aciurgia, neque minus interfui exercitationibus privatissimis curationum chirurgicarum instituendarum. Ill. Berends de semiotice, de therapia exanthematum acutorum, atque mulierum morborum, neque minus Celsi libros de medicina explicantem, Ill. de Siebold de arte obstetricia cum theoretica tum practica disserentes, Exp. Hecker medicinae historiam enarrantem audivi. Adfui etiam huius viri Exp. exercitationibus disputandi, atque viri Exp. Juengken exercitationibus curationes ocularias instituendi, neque minus Ill. de Siebold exercitationibus obstetriciis in machina phantome institutis. Clinicum etiam medicum, Ill. Berends et chirurgico - ophthalmiatrica Ill. Graefe et Cel. Rust frequentavi et usque frequento.

Peracto hoc studiorum cursu et tentamine examineque rigoroso coram gratioso medicorum ordine absoluto, spero fore, ut hacce dissertatione publice defensa, summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

Theses defendendae.

I.

Resorptionem fluidorum excernendorum nego.

II.

In vita organica nulla mors.

III.

Sanguis diversorum organorum atque corporis partium, diversus est.

IV.

Febris lacteae, quae dicitur, solam causam in utero esse nego.

V.

Omnis cura interna est antagonistica.

Tab. I.



Anstadt. del:

F. Guimpel. sc.




Fig. I.




Fig. II.




Fig. III.

